

modo Alexandri Magni rerum fulgore, sed etiā Her-
culis ppe ac Liberi patris. Igitur Sicilia recuperata,
vnde primū Syllanus in Reip. causa exoriens auspica-
tus est: Africa vero tota subacta, & in ditionem reda-
cta, Magniq; nomine spolio inde capto, eques Ro. (id
quod antea nemo) curru triūphali reuectus est: & sta-
tim ad solis occasum transgressus, excitatis in Pyre-
neo trophaeis, oppida d. ccclxxvi. ab alpibus ad fines
Hispanie vltioris in ditionem redacta victoria sua
ascripsit, & maiore animo Sertorium tacuit: belloq;
ciuili (quod omnia externa cōciebat) extincto, iterū
triumphales currus eques Ro. induxit, toties impera-
tor antequam miles. Postea ad tota maria & deinde
solis ortus missus, hos retulit patrie titulos, more sa-
cris certaminibus vincētium. Neq; enim ipsi coronan-
tur, sed patrias suas coronant. Hos ergo honores vrbī
tribuit in delubro Mineruæ, quod ex manubijs dica-
bat Cn. Pompeius Magnus Imp. bello xxx. annorum
confecto, fusis, fugatis, occisis, in ditionē acceptis ho-
minum vicies semel centenis lxxxiiij. M. depressis aut
captis nauibus d. cccxvi. oppidis, castellis M. d. xxx-
viij. in fidem receptis: terris à Mæotis lacu ad rubrū
mare subactis, votum merito Mineruæ. Hoc est bre-
uiarium eius ab oriente. Triumpho vero, quem duxit
ad tertium Calendas Octobres M. Messala, M. Pisonē
consulibus, præfatio hæc fuit: Cum oram maritimam
à prædonibus liberasset, & imperium maris populo
Romano restituisset, ex Asia, Ponto, Armenia, Pa-
phlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Iudæis
Albanis, Iberia, insula Creta, Bæsternis, & super hæc
de regibus Mithridate atque Tigrane triumphauit.
Summa summarum in illo gloria fuit (vt ipse in con-
cione dixit, cū de rebus suis differeret) Asia vltimam
provinciarū accepisse, eandemq; mediā patrie reddi-
disse. Si quis è contrario simili modo velit percensere
Cæsaris res, qui maior illo apparuit, totū profecto ter-
rarum orbē enumeret: quod infinitum esse conueniet.

Laus Catonis primi. CAP. XXVII.

CAeteris virtutū generibus varie & multi sue
re præstantes. Cato primus Porcie gentis, tres
summas in hoīe res præstitisse existimatus est,
optimus orator, optimus imperator, optimus senator:
quæ mihi oīa, etiamsi nō prius, attamē clarius fulsisse
in Scipione Aemiliano vidētur: dempto præterea plu-
rimorum odio, quo Cato laborauit. Itaq; sit primum
Catonis, quater & quadragies causam dixisse: nec
quenquam sepius postulatum, & semper absolutum.

Item de fortitudine. CAP. XXVIII.

Fortitudo in quo maxime extiterit, immēsa quæ
stionis ē, vtiq; si recipiatur poetica fabulositas.
Q. Ennius T. Cæciliū Teucrum, fratreq; eius
præcipue miratus, propter eos sextū adiecit Annalē.
L. Siccus Dentatus, qui tribunus plebis fuit, Sp. Tar-
peio, A. Aeternio consulibus, haud multo post ex-
actos reges, vel numerosissima suffragia habet, cēties
vicies præliatus, octies ex prouocatione victor, xlv. ci-

atricibus aduerso corpore insignis, nulla in tergo. Itē
spolia cepit xxxiiij. donatus hastis puris duodeuigin-
ti, phaleris xxxv. torquibus tribus & lxxx. armillis
clx. coronis xxxvi. ciuicis xiiij. aureis viij. muralibus
iij. obsidionali vna, fisco æris, x. captiuis & xx. simul
bubus, Imperatores ix. ipsius maxime op a triūphan-
tes secutus: præterea (quod optimum in operibus eius
reor) vno ex ducibus T. Romulio ex consulatu ad po-
pulū cōuictō male acti imperij rei militaris. Haud mi-
nora forēt Manlij Capitolini decora, ni perdidisset il-
la exitu vita. Ante decimū septimū annū bina cepe-
rat spolia. Primus omnium eques coronā muralē acce-
perat, vi. ciuicas. xxxviij. dona, xxxiiij. cicatrices ad-
uerso corpore exceperat: P. Seruiliū magistrū equitū
seruauerat, ipse vulneratus humerū ac femur. Super
omnia Capitolium summamq; rem in eo solus à Gallis
seruauerat, si nō regno suo seruasset. Verū sunt in his
quidē virtutis opera magna, sed maiora fortuna. M.
Sergius, vt quidem arbitror, nemo quenquā hominum
iure prætulit: licet pronepos Catilina gratiā nomi-
ni derogarit. Secundo stipendio dexteram manū per-
didit: Stipendijs duobus ter & vicies vulneratus est:
ob id neutra manu, neutro pede satis utilis: vno tantū
seruo, plurimis postea stipendijs debilis miles. Bis ab
Annibale captus (neq; enim cum quolibet hoste res
fuit) bis uinculorum eius profugus, xx. mensibus nullo
nō die in catenis aut compedibus custoditus. Sinistra
manu sola quater pugnavit, duobus equis insidente eo
suffossis dexterā sibi ferream fecit, eaq; religata præ-
liatus, Cremonam obsidione exemit. Placentiam tuta-
tus est: duodena castra hostium in Gallia cepit: quæ om-
nia ex oratione eius apparent, habita cum in prætura
sacris arceretur à collegis vt debilis. Quos hic corona-
rum acervos constructurus hoste mutato? Etenim plu-
rimum refert, in quæ cuiusq; virtus tēpora incidit.
Quas Trebia Ticinusq; aut Trasymenus ciuicas dede-
re? Quæ Cannis corona merita? vnde fugisse, virtutis
summum opus fuit. Cæteri profecto victores hominū
fuerunt, Sergius vicit etiam fortunam.

De ingenijs siue laudibus quorundam ab
ingenijs. CAP. XXIX.

Ingeniorum gloria quis possit agere delectū, per
tot disciplinarū genera, & tantā rerum operūq;
varietatē? nisi forte Homero vate Græco, nullum
feliciorē extitisse conuenit, siue operis fortuna, siue
materia æstimetur. Itaq; Alexander Magnus (etenim
insignibus iudicijs optime citraque inuidiam tam su-
perba censura peragetur) inter spolia Darij Persarū
regis vnguētorum scrinio capto, quod erat auro gem-
misq; ac margaritis preciosū, varios eius vsus amicis
demonstrātibus (quando tædebat vnguēti bellatorē
& militia sordidū) imo Hercule, inquit, librorū Ho-
meri custodia detur: ut præciosissimum humani animi
opus, quā maxime diuiti opere seruaretur. Idē Pin-
dari vatis familia penatibusq; iussit parci, cū Thebas
caperet, Aristotelis philosophi patriā cōdidit: tātāq;
rerum